



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. VI. Solvuntur argumenta in contrarium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

Observandum tamen, in hoc casu duo esse distinguenda; primum est emissio sagittæ, vel occisio animalis secundum substantiam; alterum est occisio inimici, in quantum huiusmodi formaliter: primum est omnino voluntarium, sicut est de facto cognitum; secundum vero non est voluntarium, quia non est cognitum; cognoscit enim emittens sagittam se occidere animal, sed ignorat hoc animal esse hominem, & hostem suum.

Dices, adesse simul cum intentione feram occidendi habitalem voluntatem, seu inclinationem occidendi inimicum, à qua occisio inimici sub specie feræ potest dici voluntaria.

Sed contra: Voluntas seu inclinatio habitualis non sufficit ad causandum seu denominandum voluntarium in actu, sed tantum in potentia: Ergo à voluntate seu inclinatione habituali occidendi inimicum, non potest talis occisio vel quæcumque alia actio, dici voluntaria. Præsertim, quia si voluntas habitualis sufficeret ad tribuendam malitiam, & rationem voluntarii in actu, non solum illa actio quæ de facto inimicus sub specie feræ occidit, sed omnes alie, quotquot ab illo homine exercerentur, essent actu voluntariæ, & haberent prædictam malitiam, ex vi talis voluntatis; quia non est minor conjunctio huiusmodi actionum ad illam habitalem voluntatem, quam prædictæ occisionis; neque est major ratio cur potius in istam quam in illas influat talis voluntas. Ex quo inferes, quod licet cum intentione occidendi feram esset simul volitio actualis occidendi inimicum, non ideo hæc volitio conferret illi malitiam, nec occisionem illam actu volitæ denominaret; quia scilicet non imperaret illam, sed merè per accidens & concomitantem ad illam se haberet. Idem dicendum, si quis cum ignorantia invincibili latentis inimici mitteret sagittam, eò animo ut se exerceret ad occidendum postea inimicum, vel optando illum adesse ibi, vel feram quasi ejus statuam cogitando, vel hunc actum eliciendo: si scirem ibi latere inimicum, illum occiderem: quia animus illius non est occidere ibi & tunc inimicum, quem abesse putat, sed duntaxat cedere feram, quasi ejus statuam, vel exerceri ad illam alio tempore transfingendum.

Dices: Volitio conditionata sufficit ad denominandum aliquem actum vel effectum voluntarium secundum quid: Ergo ab isto actu conditionato: si scirem ibi latere inimicum, illum occiderem, potest occisio inimici sub specie feræ, dici voluntaria secundum quid.

Respondeo, volitionem conditionatam sufficere ut aliquid denominetur voluntarium secundum quid, quando adesse illius cognitio, secus autem, si sit ignorantia illius; quia repugnat quòd aliquis voluntariè tendat, etiam sub conditione, in illud quod omnino ignorat; unde cum venator, dum elicit prædictum actum conditionatum, ignoret ibi latere inimicum, occisio inimici sub specie feræ, à volitione illa conditionata nequit esse voluntaria.

§. VI.

Solvuntur argumenta in contrarium.


Obijciens primò contra istam conclusionem: Respectu subiecti apti non datur medium inter formam & privationem; leo enim

A v.g. necessariò est videns vel cæcus: Sed actu humanus est subiectum aptum respectu voluntarii & involuntarii: Ergo omnis actus humanus debet esse voluntarius vel involuntarius; & per consequens actus ex ignorantia concomitante proveniens, non potest esse non voluntarius, sed necessariò debet esse voluntarius aut involuntarius privativè.

Respondeo, concessâ Majori, distinguendo Minorem: Actus humanus, cui adesse scientia, est subiectum aptum respectu voluntarii & involuntarii, concedo Minorem; cui deest scientia; nego Minorem; Actui autem ex ignorantia concomitante procedenti deest scientia, & ideo non convenit illi quod sit voluntarius vel involuntarius, sed solum quòd sit non voluntarius; sicut lapidi, quia non est subiectum aptum ad visum, non convenit esse videntem vel cæcum, sed solum non videntem.

Obijciens secundo: In tantum ignorantia causat effectum, in quantum removel scientiam, quæ si adesset, impediret effectum: Sed ignorantia concomitans non removel scientiam quæ impediret effectum, imò potius, si adesset talis scientia, libentius produceretur effectus, ut patet ex dictis; siquidem si ignorans sciret ibi esse inimicum, libentius ipsum occideret: Ergo ignorantia concomitans nullo modo causat hunc effectum.

Respondeo, ignorantiam concomitantem non esse causam effectus secundum entitatem vel substantiam, aut secundum aliquid positivum; sed tantum secundum aliquid purè negativum; scilicet quantum ad rationem non voluntarii in eo inclusam: quare si adesset scientia, produceretur idem effectus, quantum ad entitatem & substantiam, v.g. eadem emissio sagittæ & occisio hominis; non tamen quantum ad rationem non voluntarii, siquidem esset tunc omnino voluntarius: hunc ergo effectum negativum, seu rationem illam non voluntarii, impediret scientia, si adesset. Unde in forma respondeo concessâ Majori, distinguendo Minorem: scientia, quam removel ignorantia concomitans, non impediret effectum, quantum ad substantiam, concedo; quantum ad rationem non voluntarii, nego.



DISPUTATIO II.

De Voluntario libero.

QUIA inter species voluntarii non infimum locum tenet liberum, illudque est radix & fundamentum moralitatis actuum humanorum, hanc disputationem præcedenti adjungimus, ut existentiam & naturam libertatis declarem, priusquam de actibus humanis, eorumque moralitate, disseramus.